

metus exanimant iudiciorum atque legum; quocumque adspexisti, ut furiae, sic tuae tibi occurrunt injuriae, quae te respirare non sinunt. Quamobrem ut improbo, et stulto, et inertī nemini bene esse potest: sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse non potest. Nec vero, cujus virtus moresque laudandi sunt, ejus non laudanda vita est: neque porro fugienda vita, quae laudanda est. Esset autem fugienda, si esset misera. Quamobrem, quidquid est laudabile, idem et beatum, et florens, et expetendum videri debet.

Fin. IV. 13, 14, 15, 16. Quid? de quo nulla dissensio est? nemo enim est, qui aliter dixerit; quin omnium naturalium simile esset id, ad quod omnia referuntur: quod est ultimum rerum appetendarum. Omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim, quae se unquam deserat, aut partem aliquam sui, aut ejus partis habitum, aut vim, aut ullius earum rerum, quae secundum naturam sunt, aut motum, aut statum? quae autem natura suae primae institutionis oblita est? Nulla est profecto, quin suam vim retineat a primo ad extremum. Quomodo igitur evenit, ut hominis natura sola esset, quae hominem relinqueret, quae oblivisceretur corporis, quae summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret? quomodo autem, quod ipsi etiam fatentur, constatque inter omnes, conservabitur, ut simile sit omnium naturale illud ultimum, de quo quaeritur? Tum enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret. Tale enim visum esset ultimum Stoicorum. Quid dubitas igitur mutare principia naturae? quid enim dicis, omne animal, simul atque sit ortum, applicatum esse ad se diligendum: esseque in se conservando occupatum? quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, et in ejus unius occupatum esse custodia, reliquasque naturas nihil aliud agere, nisi ut id conservent, quod in quaque optimum sit? quomodo autem optimum, si bonum praeterea nullum est? Sin autem